

**Dissertatio inauguralis medica de multorum atque magnorum morborum  
remedio ... / submittit Gottfried Viebeg.**

**Contributors**

Viebeg, Gottfried.  
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Literis Christiani Henckelii, [1714]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/edz44cdn>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

*De*

# MULTORUM ATQUE MAGNORUM MORBORUM REMEDIO,

*Abstinenter*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*QVAM*

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORVSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA;

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RER. NATU-  
RAL. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEG.

LONGE DIGNISSIMO,

ORDINIS MEDICI h.t. DECANO.

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO

*omni Observantie atque Honoris cultu et aetem colendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS,**

Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis

Solenni obtinendo more Majorum

*Ad d. Mart. MDCCXIV. horis ante & pomeridianis*

**IN AUDITORIO MAJORI**

*Publico Eruditorum examini submittit*

**Gottfried Biebeg/ Bornens. Misn.**

Medicinæ Practicus.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

VIRIS  
ILLUSTRIBUS, EXCELLENTISSIMUS, GENEROSIS-  
SIMIS, PRÆNOMBILISSIMIS  
DOMINIS  
PRÆFECTURÆ BORNENSIS  
**ORDINIBUS**  
SEU  
**AMTSASSIIS**

UT ET  
PRÆNOBILIBUS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS  
DOCTISSIMIS DOMINIS  
**CONSULIBUS, PRÆTORIBUS, SE-**  
**NATORIBUSQUE**  
SENATUS BORNENSIS  
SPECTATISSIMIS  
DNN. GRATIOSISSIMIS, PATRONIS, ET FAUTORIBUS  
SUIS

*Eternum summa observantia colendis inauguraem hancce, sub-  
missa ac devota mente, officiosissime,*

D. D. D.

AUTOR.

Medicinae Practicione

Felicis Christiani Henrici, Accy Tysor  
HAE MAGDEBURGICAE



B. C. D.

## PROOEMIUM.



Vantumcunque etiam Veteris fastidium, studiumque novitatis quendam ceperit, fateri nihilominus cogitur, fragmenta non pauca hinc & inde in veterum monumentis reperiri, quæ ad veram sapientiam non parum faciunt; quæque sedulò collegerisse, suisque rebus accommodasse, vel ipsos ejusmodi antiquitatis osores, nec piget, nec pudet. Mirum sanè, quām multa paucis, quām longa brevibus, dixerint. Ut adeo in admodum amplâ multifariarum rerum contemplatione, nihil sæpius reliquum illis maneat, quod vel duobus verbulis non comprehendenterint. Sic vetus verbum est: ανίχθη απίχθη, sustine & abstine. Quousque autem hoc dicto non penetrant, in melioris vitæ ratione ineundâ? Quid, quod ad ipsam sanitatem, ne de Theologica aut Politica consideratione jam aliquid dicam, conservandam, eamque labefactatam re-

A

paran-

parandam, pro norma satis certa, vel quoad posterius solum membrum, inservire queat. Quia in re utique Celsus, inter principes Medicos haud postremum, valde consentientem habemus, quando abstinentiam toties commendat, eamque MULTORUM ATQUE MAGNORUM MORBORUM REMEDIUM esse pronunciat. Argumentum hoc tale nobis visum est, quod SPECIMINIS INAUGURALIS loco tractari atque uberiori explicari mereatur:

Quamobrem Summum Numen supplices (venramur, velit hoc in cœpto suâ gratiâ nobis præfens esse, ut quæ in sui gloriam, & proximi emolumentum vergant, proferre valeamus.

### Thef. I.

**Q**uandoquidem, in amorem Celsi, verba ejusdem, quibus ABSTINENTIAM extollit, in constituendo Disputationis hujus titulo, retinuimus; necessum etiam erit ante omnia exponere, quid ipse iisdem indigitare voluerit; & deinde, cum ulterius progredi nobis propositum sit, mentem quoque nostram de his rebus ritè declarare. Habuit autem ille, uti credi potest, præcipuè ante oculos, universam turbam FEBRIVM, & in his *acutis* maximè, *Magnorum* morborum nomine notatas. His omnibus tanquam certissimum auxilium opponit, *Abstinentiam*, & quidem specialissimam, illam *Assumendorum*, *Cibi*, & *liberi potus*: cui insuper *Quietis* præceptum adhuc superaddit; quod tamen nostro, quo *Abstinentiæ* vocabulum accipimus, sensu, supervacaneum adhuc erit, cum in ordine ad *motuum incongruorum* moderamen, & ipsa *Expectatione*, *Abstinentiæ* regulis jam inclusum sit.

### II.

Nos enim *Abstinentiam*, *multorum* atque *magnorum* morbo-

*morborum remedium agnoscentes, secundum literam hanc vocem interpretamur, ita, ut à quacunque re, quæ economiam corporis humani lœdere, aut ullo modo huic præjudicium asserre potest, atque solet, jam in totum, jam in tantum abstinere, jubeamus omnes, qui ejusmodi potens remedium desiderant.* Proinde veluti per summos apices in Genere hanc rem contemplabimur, cui postmodum quædam huc pertinentes Species, subordinandæ veniant. Haud absimile Thema Celeberr. Dn. Præses, harum rerum uti multarum alijs peritissimus, paucis abhinc annis ventilavit, nisi quod ille medentem, nos verò hic mederi aut sibi consuli volentem, pro Objecto habeamus atque instruamus.

## III.

Quæritur non immerito, apud eos, qui auxiliorum classes earumque universum apparatus, debitâ notitiâ atque peritiâ pensitant, an non ex tamen immenso numerô, unum inveniri possit, quod omni corporis affectioni, omni etati, omni etiam tempori, sufficiat atque conveniat? Hesitant quamplures ex Medicis, credulitatem suam tale quid pollicentibus addicere; à posteriori tantum inducti, per tot experimenta infeliciter succendentia, inanem hic operam iudi. Inter quos Excellentissimus Dn. Præses, quo in abstrusioribus rebus detegendis non facile quisquam soletior, maximè etiam à priori demonstratum dedit, non posse hunc in modum aliquid obtineri: cum planè absolum sit, absque vitaliter Agentis in corpore concursu, prout illi sibi sumunt, aliquid efficere velle. Interim non defuerunt hactenus, qui ejusmodi θεὸν ἀπὸ μηχανῆς orbi obtruderent; cum licentia, à Paracelso in primis orta, successu temporis in multos repente se vulgaverit. Firmo nihilominus stetit adhuc stabitque talo, quod omnes, qui absque συνεγείας Naturæ respectu aliquid querunt aut tentant, illos actum agere necessum sit.

Quemadmodum autem à tali instituto meritò abhorremus, ubi oleum & opera absque omni dubio perdi debet; ita tamen ejusmodi *universale auxilium* quod *ένεγκεντας Νατορε* ubique amicè *respiciat, foveat atque juvet*, negligere & silentio prorsus præterire, religio nobis fuit.

Et profectò, cum verâ *Physiologico - Pathologica Theoria*, haud quidquam aliud tam aptè cohæret, atque in se optimæ est consequentiæ, quâm illa meditatio, quâ satis superque edoëti, nulla corpori metuenda esse materialia documenta, nisi quæ *ab extrâ in structuram ejus advehuntur*; omne id, quod intra corpus admissum, vel *qualitate* vel *quantitate*, vel perversâ etiam *aëstimatione*, turbas aut pericula excitare valet, ab hujus confortio arcere suscipimus: ita, ut hoc pacto, nullo non tempore, omnes actus vitales, placidè atque decenter fiant & vigeant: indeque perennis sanitatis conservatio obtineatur. Hac ipsam metam *Abstinentia* attentis oculis præfixam habet, atque eodem omnes nervos intèndit.

Præterea, serio attendendum, quod ipsius *Naturæ methodus*, in superandis inorbis, regulam hanc quandoque *μετὰ σπαδῆς* præscribat atque servet; quale quid in *Febribus*, præcipue *continuis*, vulgo dictis *acutis* contingere solet, ubi ægroti ab omni *carnium usu*, cum peculiari etiam aliqua *aversione abstinent*. Id, quod non ita fortuitò, sine omni respectu ad certum aliquem *finem*, accidat, aliquoties jam laudatus Dn. Præses, dexterimè enucleavit, & præcipue *τὸ δίότι*, ipsam fiendi rationem, ex evidente ipsius rei indole atque genio, in *Programmate* quodam, sufficenter detexit. Quare etiam non abs re erit, eandem viam, quam *Natura*, ex se ipsâ satis docta, prosequitur, & quam insuper uni-

universo negotio *vitali* apprimè quadrare intelligimus,  
pro scopo universalis abigendorum nociteturorum insistere.

## VII.

Confirmant adhæc, *Abstinentiæ* communem in morbis utilitatem, passim animadversæ *Individuales Experientiæ*, ubi vel à solo *victu*, *Abstinentia*, omnibus aliis artis tentaminibus, palmam præripuit. Ex multis jam cognitis, unicum tantum exemplum allegare lubet. Juvenis nobili profapia ortus, habitus *Sangvino-Cholerici*, febrem ardente incurrevit. Ex quâ, an propriâ culpâ, an medentis incuriâ, jam non interpretor, in *Hemitritæum*, infelici prorsus metamorphosi conjectus, ita tandem omnis medicationis, imò ferè ipsius vitæ, pertæsus, cùm non per septimanas aliquot, sed per plures menses, malum duraret, firmiter secum constituit, tām ab omni medicatione, quām à victu etiam, quoad usquam valeret, penitus *abstinere*. Quid fit? Per aliquot dies toleratā sic ab omni victu *abstinentiâ*, natura, quamvis vires sensim deficere viderentur, operosum nihilominus & maximè salutarem nisum instituit, quō per *vomitum* materia ex airo viridescens, & valdè tenax, expellebatur. Quō factō tam pertinax malum simul & semel cessavit, atque perfecta Euphoria hanc methodum consecuta est.

## VIII.

Idem observare sæpius licebit, harum rerum curiosis, adeò, ut illis in ejusmodi historias inquirentibus, atque tales audire volentibus, planè non futurum sit novum, quosdam vel solā ab assumendis *abstinentiæ*, sanitati fuisse restitutos. Qualem etiam observationem, nonnullis ansam præbuisse nulli dubitamus, ut peculiari metodo, quam *inediam* vocarunt, dīe Hunger-Cur, omnes promiscuè morbos, niinia fiducia, debellare aggredierentur.

## IX.

Quod si autem *carentia* solūm cibi & potūs, velut alia qua saltem *Abstinentiæ* species, hæc potest; quid non Gene-

*etiam atque universalis Abstinentia quibuslibet nocivis, praestare, nobis polliceri poterimus? Certè illa, multis modis, innumerorum, atque *magnorum* morborum, totum & appropriatum est remedium. Hoc ipsum uti in antecedentibus in *Genere*, adhuc probatum ivimus, sic jam in *specie*, ad varia exempla, ut ex illis res clarior evadat, commemoranda progressum facimus.*

## X.

*Infantes*, quoisque *lacte* materno nutriuntur, eosque variis periculis sunt obnoxii; quibus vel ab ipsa *lactis* crassi pendentibus, vel maximam partem à commotionibus *patheticis*, sub vehiculo *lactis* communicatis, minus essent exposti, si *Abstinentiae* locus in tempore relinquetur. Cujus consilii summa utilitas, immò necessitas, vel exinde elucefecit, quod, ubi undique circumspicientibus ad ejusmodi incommoda avertenda, nullum amplius remedium suppetit, ad solam *Abstinentiam* svadendam, opportunè recurrent, matrique injungant ab ulteriori lactatione desistere, aut nutricem mutare. Ibi omnes etiam res, utut ante turbulentæ, ad oculum tranquillæ redduntur, solâ illa intermissione imperatâ, nec ullum aliud artis instrumentum aut à *Pharmaciâ* aut *Chirurgiâ* ulterius expectant.

## XI.

Porrò, quoad *educationem*, peculiaris *Abstinentiae*, sive *sceptæ* aut *neglectæ* ratio, in *morum* formatione sese manifestat; siquidem nonnulli liberi, nimiâ Parentum lenitate, variis tergiversationibus aut concupiscentiis, ita sæpius afflent, ut insigne detrimentum inde ipsis etiam circa *sanitatem*, per totam vitam, immineat. Ubi è contra his, mirum quantum melioris conditionis esse observamus, illos, quorum Parentes tempestivè invigilant, ne *Insuetudines* aut *ad-suetudines* tales, difficillimè posteà, aut fermè nunquam descendæ, teneræ adhuc ætati per malam conniventiam imprimantur. Practici animum hic debitè advertentes, omnium

um optimè intelligunt, quid fibi dictum illud velit: à teneris adfuscerē, multum est, & quantum expedit ab ejusmodi rebus à teneris abstinuisse.

## XII.

Hæc ad illos pertinebant, qui respectu moderandæ sanitatis, per aliquod tempus in aliorum potestate sunt. Jam ad alium gregem, *Adultos nimirum*, deveniendum; atque ibi etiam unum vel alterum specialis Abstinentiæ exemplar commemorandum. Hic, primo omnium loco, amplissimæ *Dietæ* regulæ se offerunt; quæ singulæ sub illâ à nobis descriptâ *abstinentia*, velut suo debito *Genere* stant: quæque nihil prorsus aliud continent, quam *cautelas* varias, à quibus rebus, quomodo, quô tempore, in quantum, *abstinendum* sit.

## XIII.

Monitores atque Commentatores hoc in negotio cum neutiquam deficiant, quos inter *Sanctorius ad examinis observationem usque scrupulosus* est; non licebit sigillatim illas *sex res non naturales* dictas, ordine recensere & tanquam per ejusmodi divisum Zodiacum, labore supervacaneō, aliisque dudum suscepto, decurrere; quoniam nec proposita nobis ratio illud fieri permittit, qua hinc & inde *specialis* Abstinentiæ exempla tantum colligere, non autem *Dietetices Professorem* agere, tenemur.

## XIV.

Interim liberum nobis servamus, quæ ex his rebus, nostro huic scopo apprimè inservire queant, ex quacunque classe aptum visum fuerit, desumere. Quale quid circa *Affumenda* in superioribus jam tetigimus. Est hæc illa *Abstinentiæ species*, ad quam aliquando adhuc respicimus communioris vocabuli usus ergo, ut opinor; siquidem plerisque Medico sensu, moderamen circa *cibum & potum* tantum, involvit; cùm interim quoad *aërem, somnum, vigilias, animi commotiones, motum, quietem, excernenda, cautum esse*, quòd ea omnia etiam sint *Abstinentiæ*, nemo sollicitè

citè meminerit. Hoc equidem verum est, quod hac in classe *Assumendorum*, magis familiariter delinquere contin-  
gat; quam in reliquis, imò quod ipsum delictum, in se, ple-  
rumque deinde majus sit, aut majoris periculi, quàm quæ  
in cæteris committuntur. Modo qui quantitate hic pec-  
cant aspiciamus. Nonne sibi hisce rebus *Plethora* con-  
trahunt? Ex quâ, tanquam ex altero equo Trojano, uti il-  
lius civitatis, sic corporis humani, summa calamitas atque  
eversio exsurgit. Hinc aurea illa Abstinentiæ Regula o-  
mni tempore memori mente tenenda: NE QUID NI-  
MIS.

## XV.

Circa *Aërem*, Veteres jam peculiare vacillantis artis  
firmamentum in *Abstinentiæ* recessu quæsiverunt; & me-  
dicamentis nihil proficientibus mutationem *aëris* non-  
nunquam suadere cœperunt. Hoc ipsum, in primis in or-  
dine ad *malignitatem*, *pestis*, potissimum tempore, inibi re-  
conditam, an verum fundamentum in re habeat, hic loci  
quidem non investigabimus; desumimus potius inde occa-  
sionem ad specialissimam quandam Abstinentiam devenien-  
di. In quantum enim de *malignis* ejusmodi *aeris* influen-  
tiis adhuc potest ambigi, in tantum *de reali contactu*, tale  
quid pestiferum producendi, apud omnes liquidò constat.

## XVI.

Digna videri posset res, quæ in considerationem Medi-  
cam veniat, quare rerum non naturalium Classes constitu-  
entes, sub *aëre*, de *Contactu* tam ingens periculum minitan-  
te, ne verbum quidem protulerint? Excusandos autem il-  
los omnis in arte Medicâ methodi primos Inventores ali-  
quis putet, ex ea ratione, quòd, quandocunque *contactu*,  
*malignitas* ex uno corpore in aliud transmigrat, per *efflu-  
via* quidem halituosa illud fieri, & sic *aërem* intervenire ne-  
cessit in cuius classem deinde hæc trahi possint: Interim  
hanc

hanc non amplius esse ipsius aëris quasi intimius propriam culpam, sed alienarum, non jam amplius ad rerum non naturalium, sed directè & absolutè, rerum p. n. censum, pertinientium: quæ per accidens aëri irrepserunt.

## XVII.

Enim verò accuratius rem æstimantes siquidem aër & alibi in morem vehiculi se habeat, & nonnunquam etiam propinquior affricatio accedere debet, facillimè perspiciunt falso negligentiae incusatum iri. Qvicquid horum sit, nostra jam parum refert, ipsam rem modo intuentes, qvod ita contingat, per *contagium* morbos propagari. Audivimus eheu! puto hactenus, per miseram nostram Germaniam, tot belli calamitatibus alias satis pressam, morborum omnium pessimum, *peste*, huc illic serpere, eandemque à civi civi, à civitate agris, communicatam grassari. Hæc in *acutis* etiam *contagii* observatio, *variolarum* atqve *morbillorum* exemplo non adeo infreqvens, in *Intermittentibus* autem rarer. Qvalem casum nobis inspicere licuit, ubi mater *semitertia-naria* commotione febrili, laborans, puerulum *quinquen-nem*, sub uno lecto secum recubantem, hâc ipsâ infecit, typò undique prorsus eodem servatō. Ad *serosas* Affectiones qvod attinet, quis ibi solo attachu repente aliquid transplantari posse dubitet, cum de *Scabie* aut *Lus venerea* saltem rationem ineat, quo & illud Poëta quadrat:

Uvaque conspecta livorem duxit ab uva.

## XVIII.

Auxilium itaque quando his rebus inducendum, sciunt suarum rerum fatigentes, qvomodo saepius artem simul & artifices fatigare soleant; imo quod *pestis* ratione, omnis *artis* opera penitus propemodùm frustra sit, & scopo potissimum *preservationis*, nullum aliud refugium, qvam, ad *Abstinentiam*, relinqvat. Hactenus enim omnibus, per mare per terras conquisitis atqve tentatis, nihil utique tam

evidenter profuit, quam rō d'πέχειν, ab omni commercio tali-  
m peste infectorum abstinere.

## XIX.

*Corporis, atque animi, Motus, si cum debita moderatione frant, non solum nihil nocent corpori, sed revera profundunt.* Nam alacritas animi, moderatum gaudium, & hilaritas, dum animum erigunt; efficiunt etiam, ut mæror, Timor, atque Trepidatio, non tam facile aditum inveniant, aut actionem tranquillitatem turbent; qualis turbatio alias valde multum potest, ad aestimandam, atq; recte tractandam, etiam leviorum periculorum syndromen. Ita enim v. g. videmus sepe, quod ægri, qui soli relieti, praesertim à qualicunque dolore, aut aliis angustiis, valde male se habent; si sodalitium, aut visitatio ipsis obtingit, ab hominibus, quorum præsentia ipsis grata est, longè mitius se gerant, & quasi tantisper obliviscantur mali sui, quamdiu tali occasione, animum suum erigendi & quasi exhilarandi, fruuntur.

## XX.

Imò, est assatim nota, ingens illa perturbatio vitalium actionum, appetitus, concoctionis, nutritionis, & incrementi corporis, quæ, cum quietis etiam magna turbatione, ejusmodi subjectis evenit, quæ singulari sensibilitate animi pollent quando desiderio absentium, & rædio, aut timore, præsentium rerum, afficiuntur; quod Germani, die Sehnsucht, Græca doct *τοταλύλας* appellant: adeo, ut non solum male ipsis sit, imo vel ad decubitum usque, quamdiu animus his adversissimis Idæis defixus est; sed etiam, sicubi vel sola spes proximate remissionis ad suos lares, aut redditus desideratorum, ipsis proponitur, statim melius habere sentiantur; quando vero desiderio hoc suo potiti sunt, velut in horas, cum animi alacritate, etiam corporis, & omnium vitalium actionum, vigor, in optimum ordinem restituatur. Et notissima talia sunt exempla, ut etiam in lentis febribus, cum mærore & fastidio gnumi conjunctis, inexpectatus ad-  
ven-

veritus cognitorum, aut aliorum charorum familiarium, intra paucos dies efficiat, quod nulla ars assequi potuerat.

XXI.

Nihilo vero minus habet etiam *corporis motus* bene ordinatus, insignem suam utilitatem; dum neminem hominum latet, quantum incommodorum *desidia* atque *innolentia*, hominibus objicit: præsertim quando interim *edacitas* & plenus vixus continuatur. Sicut etiam, ex adverso, inconsiderati *repentini motus*, tam *Concoctionem* atque *distributionem* alimentorum notoriè turbant, quam sanguinem *exagitant*, & cum *respirationis* vitiis, etiam æqualem motum humorum per *pulmones*, lædere possunt. A quorum proinde *motuum, animi* & que atque *corporis* tranquillitatem turbantium, usu, meliore æqui librio servato, *abstinentia* seu *Quies*, omnino convenit.

XXII.

Nequaquam autem inter has res, *Medico artificiali* scopo atque ordine jam propinquioris obliuisci licet, *Expectationis*. Habuit de hac re, conceptum in animo, certè uberiore atque ordinatiore enucleatione dignum, *Gideon Harvæus*; & melius sine dubio egisset, si potius, aut certe prius, positivè deduxisset, *Expectationis* utilitatem, imo passim necessitatem; quam *negative*, per odiosa exempla (quorum nimis abundans numerus utique occurrit,) inutilitatem solum, imo damna, neglectus illius, taxavisset.

XXIII.

Est enim certè vera atque solida consideratio, justæ atque bene ordinatæ *Expectationis*, tale negotium, quod non solum *praxi* medicæ, nominatim autem *veræ methodo mendandi*, ingentem lucem affundit; sed etiam è penitissima vera *Historia morborum, ad Pathologica Therapeuticam* scientiam, ita tanquam ex intimis fundamentis eruenda venit, ut objectum præbeat, circa quod doctus & peritus Medicus, eximiè ostendere possit solidam suam artis, scientiam æquè, atque peritiam.

XXIV.

Huic enim rei præcipiè superstruenda venit, vera rationalis aestimatio *Abstinentiæ Medici*. *Scientia* inquam, frequentissime maximi momenti, imo ponderis, AN arte aliquid agendum veniat; & quo tempore, consilia vel auxilia bona, legitimum suum usum assequi forte possint? quæ res quænti momenti sic in omnis generis *Febribus*, & tanto magis summe sensibilius periculosioribus, ut neque neminem cum solertia peritum practicum fugere debet; ita in minus periculosis, *intermittentibus*, præsertim tamen *importunioribus*, vel ipsorum stultorum, ut habet proverbium. Magistra, experientia, tanto facilius perculit aliquantò attentiores, ut, licet veras rationes (nempe super *incondita medicatione*, vulgari traditione laudata, fundatas,) non satis assequerentur, tamen ex ipsa observatione, cautelam illam comprehendenter, & tanquam axiomatis loco comendent, quod *versus paroxysmos*, & *in paroxysmis*, à medicamentis præstet *abstinere*; dum nempe usitatis illorum formulis aut certè *præpostero* talium usu, manifestò experiuntur, pejus potius habere ægros, & paroxysmos *laboriosiores* fieri, quam ut promissum levamen illis inde eveniat. Id quod quilibet attentus practicus facillimè observare potest, ab exhibitione sic dictorum *Bezoartorum*, & tam remediorum, quam regiminum, *sudoriferorum*, per initia paroxysmorum, commendatâ: ut potè à quibus æstus solum, cum omnibus reliquis molestiis, exasperatur; & tamen nullus, aut certe nequam utilis, *sudor* obtinetur: qui *versus finem paroxysmi*, vel solo tranquillo *regimine*, vel, pro diversitate *Temperamentorum*, tunc prudenter propinatis *alexipharmacofudoriferis*, tam successu, quam effectu meliore, impetratur.

Sicut autem hæc, uti præmonuimus, quasi ad *Medici abstinentiam* simplicius respiciunt; adeoque nobis tribui posset,

posset, quasi ultra nostri propositi limites evagaremur, quo non tam *medici*, quam *aegri* abstinentiam commendandam in nos recipere profesi sumus; non tamen ita aliena haberi debet hæc nostra *digressio*, cum manu quasi ducat, ad hanc ipsam *aegris omnino commendandam abstinentiam*, à nimis um familiari illa *Polypragmosyne*, quam ipsi *aegri* passim sibi sumunt, eique temere indulgent. Dum sæpiissime homines offendimus, qui in negotio tuendæ sanitatis sibi ipsis sufficere persuasi, non tantum contemplationes de sui corporis œconomiâ, nescio quas formant; morborum genium, causas, licet has quandoque summe ridiculas, determinant; sed etiam remedia, quæcunque aut primum obveniunt, aut non adeò magni sunt pretii, aut quæ ex alio capite placent, aut, quod primo loco dicendum, quæ prodesse ipsi putant, audacter satis applicant.

## XXVI.

Hi sæpius domi habent, unde ægrotent. Medicamenta eorum intelligo Domestica illis dicta, Hauf-Mittelgen. Quid damni hinc inde attulerint, *Balsamus sulphuris*, *sulphur ipsum*: ex *Terebinthinâ*, *cumino*, *baccis juniperi* præparata, nonnunquam etiam famosum *Elixir Proprietatis*, *Tinctura Bezoard*. ut alia jam taceam, abunde notum est, & indies adhuc innotescit. Omnia interim hæc, in quotidiano sunt usu, licet *plebejis* plerumque; cum divites aliud officulum habeant. *Arcana enim* sunt, quibus detinentur. Ejusmodi nimirum simplicium compositiones, quæ celebri alicui Medico nomen suum debent. Quæ cuncta, ut in se bona esse, & certo usui inservire possint, promiscue nihilominus, & absque debito judicio, *Medico-Practico*, (quis autem horum hoc præditus?) usurpata, eundem in modum æ plebejorum medicinæ, nocere possunt, imo solent. Quibus periculis expositi haud sunt, qui curæ *prudentis* Medici se totos tradunt, & medicamentis omnibus, antequam à Medi-

Medico præscribantur, unicum hunc competere titulum;  
noli me tangere, intelligunt.

## XXVII.

Ex quibus jam dictis, cum satis superque constet, quod *Abstinentia* à nobis descripta, tam *avertendis* quam *tollendis* morbos affectionibus multum omnino possit, imò soleat etiam præstare, nihil amplius supereft, quam adhortari omnes, quibus intaminata sui corporis conservatio curæ est, ut ad ejusmodi res, & factu faciles, & in ipso facto utiles, æquè ac necessarias, præ cæteris minus talibus, animum decenter advertant. Deo interea grates decentes persolvimus, quod vires concederit omnes res ad sanitatem pertinentes vel ut uno obtutu in conspectum dare, atque hinc & inde salutaria quædam consilia suppeditare. Fxit divina Clementia, ut nullò tempore desint, qui aptè detegant, quid verè noceat, & sedulò præmoneant ab ejusmodi rebus abstinere.

